

in prosecutione negotiorum praedictorum vos vel aliquem vestrum demorari oporteat, capuciis et palliis rotundis omniquaque consutis sive mantillis integris nigri coloris ad latera duas scissuras foraminum, per quas manus educere et extrahere possitis, dumtaxat habentibus, more quo religiosi viri fratres et canonici regulares in Rudenitz et aliorum monasteriorum in Bohemia eiusdem ordinis et professionis incedunt et utuntur, in antea temporibus affuturis incedere et huiusmodi uti ac deferre de nostra licentia libere valeatis, ita tamen quod tam in via sub pallio vel mantello, quam in civitate Misnensi ac monasterio vestro sub cappa vel superpellicio sarracium sive scorlicium, quod habitus regularis vestri ordinis et de professionis ipsius substantia fore censetur, desubtus deferre nullatenus negligatis. Quam primum vero expeditis negotiis huiusmodi ad vestrum monasterium reingressi fueritis et reversi, mox deposito pallio seu mantello habitum pristinum et antea usitatum deferendo resumatis cum ceteris fratribus vestris conformiter incedentes, ne diversi habitus difformitas alicuius indecentiae, notam aut scandalum in populo valeat generare. Non igitur indigne vobis indulti huiusmodi privilegio decrevimus decorare, potissimum ex eo, quia largiflua praedecessorum nostrorum Misnensium episcoporum dotatione monasterium vestrum sumpsisse cognovimus foundationis exordium, vosque in ipsorum et nostra devotione et obedientia fidelitate debita haecenus comperti estis ac stabiles perpetuo permanistis. Ut autem haec nostra indulgentia iugiter firmitatis robur obtineat et inconversa perseveret, praesentem litteram scribi et nostri autentici sigilli fecimus appensione muniri. Datum in castro Vlasschym anno domini millesimo tricentesimo septuagesimo sexto in die translationis beati Benedicti.

Nach dem Chartul. monast. s. Aefrae II. fol. 113.

No. 221. 1377. 10. Aug.

*Derselbe verleiht dem Probst und den Chorherren, welche die Priesterweihe erhalten haben, zu ihrer Auszeichnung das Recht in der Domkirche und ihrer eigenen gewisse Kleider zu tragen.*

Johannes dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis honorabili et religiosis viris dominis Johanni praeposito et priori et conventui singulisque personis ecclesiae sanctae Aefrae canonicorum regularium ordinis sancti Augustini in Misna devotis nobis in Christo dilectis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ad sublime nostri pontificii decus et in augmentum honestatis ecclesiae nostrae provenire non ambigimus, dum iuxta apostoli sententiam fraternitatis simus amatores et honore praevenimus eos potissimum, quos approbatae religionis honorificentia conspicuos et insignes ac secundae dignitatis honore eidem ecclesiae nostrae finitimos reddidit propensius et extollit. Nam dum eos, quos subiectionis et obedientiae propinquitate obligatiores nobis existere conspiciamus, sublimius honoramus, in illorum extollentia procul dubio efferimur et profectibus gloriamur. Sane in praesulatus culmine deo auspice constituti ad statum ecclesiae vestrae et personarum ipsius paternae benignitatis clementia nostrae mentis aciem convertentes, ad decorandum eundem sublimio-